

Ex. 529

B. m. II, 509

Qu. 530, 9.

X 2125559

II a  
78

CHRISTOPHORI COLERI  
ORATIO AUSPICALIS

*Cum*

Habitâ solemni Panegyri

BIBLIOTHECA

MARIO-MAGDALENÆA,

*Libris auctior & Cultu ornatio*

XXIV. Novembris,

A. C. clō lōc XLIV.

Usibus publicis dedicaretur,

*nunc recusa*

VRATISLAVIÆ,

Apud JOHANNEM GEORG Steck/

1699.



1316.

CHRISTOPHORI COLLEI

ORATIO AUSTRIACIS

1612

HABITUS COLLEII PANEGYRICUS

BIBLIOTHECA

MARCO-MARCOVALLENSIS

LIBRARIUS AUSTRIACIS

1612

1612

LIBRARIUS AUSTRIACIS

1612

1612

APUD JOHANNEM GEORGII


1612





PRÆSIDES SCHOLARUM  
VRATISLAVIENSIIUM STUDIO-  
RUM ET BIBLIOTHECA-  
RUM CULTORIBUS

S. D.



Um in veterum & recentiorum Seculo-  
rum Memoria magnorum quorundam  
Regum, & Principum Consilia, cogi-  
tata & Acta memorabilia reputamus,  
experimur, illos præcipue Famam &  
Posteritatem in Oculis habuisse, unicè  
cogitantes Taciti illud Oraculum planè  
esse Delphicum: Cæteris in eo stare Consilia, quid sibi con-  
ducere arbitrentur: Principum diversam esse Sortem, qui-  
bus præcipua rerum ad Famam dirigenda. Cætera etiam  
Principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum,  
prosperam sui Memoriam. Nam Contemptu Famæ conte-  
mni Virtutes. Cum itaque Principes & Magnates, ex Ro-  
mani Sapientis Præcepto, multa Famæ dare deberent, Do-  
ctrinarum Studia, & Hermathenam, ad excelsum Honoris  
& Famæ fastigium alacriter promoverunt, & eminentia,  
atque principali Culmine digna Ingenia, suo loco, Honori-  
bus & Præmiis in Usus Seculi & Posteritatis Gloriam extu-  
lerunt.

A 2

lerunt.

lerunt. Nam cum animadvertissent suorum Antecessorum & Majorum alios male agendo in postremis curis habuisse, alios nihil agendo plane neglexisse: adeo ut sublatis eorundem Pretiis Studia ipsa perierint, aut ut ægrum Corpus elangverint, summâ ope allaborarunt, ut ægra & squalida illa, si non plane emortua, vel veterem Spiritum & Sangvinem reciperent, vel novam plane vitam conciperent. Quia vero literatos æque ac Viros Principes mortales & Rem Literariam ut Rempublicam esse æternam, communi humanorum eventu edocti erant, collectis & depositis infinitis Librorum millibus, perennibus Ingeniorum Monumentis, contra Casum Mortalitatæ Posteritati prospexerunt. At, licet ex Sententiâ Bibliographi, & antiquarii Belgici res vetus sit, &, nisi fallitur, cum ipsis Literis adinventæ: quippe simul ac scire ac sapere natum est, mox etiam scribere: & istud esse cum Fructu non potuit, nisi ut Libri asservarentur, & disponentur ad præsentium & posterorum Usus & Fructum: tamen vel Exemplo privatorum Hominum sibi suisque pro Sorte & Censu suo quisque Corpus Librorum quoddam struentium, postea magni Reges & Dynastæ ac Rempublicæ id instituti non in usum solum, sed etiam Ambitionem & Splendorem, usurparunt. Sanè Ægyptii Reges in ejusmodi Æternitatis Curatione cæteris Terrarum Dominis palmam præripuisse videntur. Nam primus illorum Regum Osymanduas, inter alia Operum suorum sumptuosissima, & gloriosissima, quæ Memoria Temporum servavit, sacram quoque Bibliothecam strui curavit, cum hæc commemorabili Inscriptione: *Ψυχῆς ἰατρῆιον*, Animæ Medicamentum: ei que contiguas omnium in Ægypto cultorum Deorum Imagines apposuit. Quamvis verò in Ægypto plusculas extitisse Bibliothecas, & in Templis præcipue sub Sacerdotum cura positas fuisse, Lipsius Conjecturam faciat, tamen eæ omnes Temporum vetustate absorptæ, & altâ Silentii nocte sepul-

1319

sepultæ, præter Alexandrinam: Quæ Auctore Rege Ptolomæo Philadelpho singulari Artium & Ingeniorum, atque cohærentium Librorum Cultore, ad Exemplum Structuræ Aristotelicæ composita, ad quadringenta Librorum millia pulcherrimè effloruit, ac sub Ptolomæo Evergetâ, aliisque Successoribus tandem ad septingenta Voluminum millia excrevit: nisi quod deplorandum sit, quod Livii Elogio, Elegantia Regum curæque Illud Opus, Judicio Senecæ, pulcherrimum Regiæ Opulentia Monumentum, communi Bibliothecorum Fato, Incendio scilicet consumpta perierit, nec, licet opimo Attalicæ Spolio per Antonium parto, Restauratrice Cleopatrà, aliquâ parte sibi similis, nondum tamen illa ipsa revixerit. Idem Fatum Græcis etiam Bibliothecis accidisse Lipsius conqueritur: quarum quidem aliquot Romani Duces Triumviri Triumphales, Æmilius Paulus Perse Macedonum Rege devicto, Lucullus è Ponticâ Prædâ, Cornellius Sulla, postea Dictator, Romam, tanquam inermes Colonias, deduxerunt: quæ tamen Bibliothecæ Privatorum peculia fuerunt. Primus struendæ Bibliothecæ Publicæ Auctor fuit Julius Cæsar, ut Reipublicæ Romanæ, ita Literarum Dictator perpetuus, datâ hâc comparandarum & dirigendarum Curâ Varroni, Togatorum doctissimo, qui omnem ætatem legendo & scribendo impendit: sed cum Princeps hic fato interpellatus ipse non posset, cœptum hoc pium & magnificum Institutum Augustus, adoptivus illius Filius, promovit, & inter alia Urbis & Orbis Romani Ornamenta hoc quoque speciosissimum ac immortale plurifariam adauxit. Sed ut præteritis aliorum Imperatorum, Regum & Principum veterum Bibliothecis, per longa Seculorum intervalla ad Memoriam avitam, Patrum nostrorum & nostram, ingenti Saltu tot Hiatus transiliamus, Vaticana Romæ meritisimo suo Librorum Antiquitate, Raritate & Caritate Principatum hodiè obtinet.

Ea enim à primigeniis Pontificibus in Laterano primum instituta, à recentioribus in Vaticanum translata, à Nicolao V. aucta, ac nuper à Sixto V. elegantissimè exornata, ab Urbano VIII. opimis belli Germanici Spoliis, abundantissimè locupletata est. In Galliâ tres præ aliis eminent Bibliothecæ, Regia, cujus Auctor Franciscus I. Rex Evergeta renascentium Literarum incomparabilis, Medicæa, quam Catharina Henrici II. Conjux more Gentis suæ in Literas propensissima fundavit, & Thuanica, Jacobi Augusti Thuani Filia, Minerva innubilis, & nulli Hæredi propria, sed omnibus bonis & doctis tenore Testamenti paterni honestè prostituta & exposita. Lugduno-Batava, Ordinum Fœderati Belgii in mediâ Obsidione cum Academiâ uno partu edita, licet à tenui Principio paupercula Virgo fuerit, tamen alienâ Libertate Jos. Scaligeri & Bonaventuræ Vulcanii, Virorum æternorum nunc cum plerisque Alemanniæ Bibliothecis certare incipit. Nam sublata Heidelbergensi Principe, & Fuldensi hoc belli incendio spoliata, Viennensis, Norimbergensis & Augustana præ cæteris inclarescunt.

Illorum veterum & horum recentiorum Principum ac Optimatum aliorum Exempla in utroque laudabili Instituto secutus est inclitæ hujus Metropolis Magnificus, Nobilissimus, Amplissimusque Senatus noster, qui superiori Anno Constitutiones Scholasticas promulgasset, quibus geminas Sorores Elisabethanam & Magdalensam Scholas, numero Doctorum, onere Laborum & honore Preciorum æquibres esse voluit, & præfectis Professoribus Humanitatis celebrioribus, oberrantes latè gliscentibus bellorum Furoribus Literas in suam Civitatem compulit. Demum de communi quâdam Ingeniorum & Studiorum Nutriculâ, quam Bibliothecam interpretor, seriò cogitavit. Præviderat enim pro summâ suâ Prudentiâ & consumatissimo Judicio, Bibliothecam esse, Danielis Heinsii Bibliothecarii Leidensis (quem ipsum

ipsum βιβλιοθήκην ἑμψυχον καὶ περιπατῶν μουσῶν, rectius fortasse, quam olim Longinum Eunapius, appellare possumus) Elogio, illud totius quasi Sapientiae armamentarium & Domicilium; Eruditionis Sedem Literarum securissimum Sacrarium, magnarum Animarum Prytaneum, & quasi Capitolium Aeternitatis. Postquam itaque haec Magdalenæ Bibliotheca è parvis Primordiis sensim crevisset, ante hos XLIII. Annos in Ordinem redacta, atque abhinc multorum Evergetarum summi, medi, imique Subsellii, maximè verò Wirbiano Zierotinianorum Librorum Legato locupletata fuisset, laudatissimus noster Senatus, commissâ ejus negotii curâ Nobilissimis, Amplissimisque Viris initiò DN. RUDOLPHO JOHONIO, & post hujus præmaturum quidem at beatum tamen Excessum Optioni illius simillimo DN. CASPARO GRETSCHMARO, ambobus Senatorii Ordinis Luminibus, ac Honoratissimo & spectatæ Senectutis, diligentiae ac prudentiae Viro DN. ALBERTO BIBERO, Templi hujus Aedibus, Bibliothecam hanc non contemnendam, ad singulare Patriæ Ornamentum, & gratæ Posteritatis Exemplum magnis Sumtibus restaurari, Armariis & Repositoriis, ac variis Insignibus, Imaginibus, Tabulis Geographicis & Genealogicis Illustrium Personarum ornari, & frontispicibus septem Græciæ Sapientum affabrè formatis Statuis illustrari, ac Perennitati consecrari, atque adeò ex veteri quasi Lateritiâ novam & marmoream fieri fecit. Antequam verò absoluta hæc Bibliothecæ Compages, tanquam Bonum Commune, fruenda Literarum Mystagogis & Candidatis pateret, idem nunquam satis cum Præfatione Honoris nominatus Senatus per diligentissimos Aedis hujus Curatores solennem quandam Panegyrim institui jusfit. Quamobrem Auctoritate incliti Senatus Bibliothecario nostro CHRITOPHORO COLERO, in Elisabethano Eloquentiæ & Historiarum Professore (cujus curæ diligen-

ligentiæque potissimum incumbit, ) mandavimus, ut Pa-  
 negyricâ quâdam Auspicali Oratione, Bibliothecæ nostræ  
 humanas quasi Ætates, incliti Senatûs præcipuorumque  
 Evergetarum Munificentiam laudibus Cœlo æquaret, & ve-  
 ri legitimi que Bibliothecarii dotes & Munus, nervosâ, quâ  
 possit fieri brevitate, examinaret. Quæ Celebritas cum  
 à splendido illustris & literarii Auditorii Congressu & Confes-  
 su illustrior fieri possit, honorificè & humaniter pro Perso-  
 narum Dignitate, Illustres gente & mente studiorum & Bi-  
 bliothecæ Patronos invitamus, ut ad Diem Jovis, quæ XXIV.  
 Novembris in Fastis erit, Serapéum hoc Magdalenæum ho-  
 norificâ suâ Præsentia illustrent, ac DEO Satori & Statori  
 Literarum unico, pro securo hoc Pacis & publicæ Tranquil-  
 litatis Nido, ac tutis Halcyoniis hætenus conservatis, in-  
 gentes nobiscum gratias, Musico Conventu & vicariâ Ora-  
 toris Lingvâ, unanimi tamen Animorum Consensu, agant,  
 & simul ad eundem pro conservandis ad serissimam usque  
 Posteritatem Literis & inæstimabilibus his Æternitatis Ci-  
 meliis Preces ac Vota infinita ex penitis Animi Visceribus  
 concipiant & effundant. P. P. Vratislaviæ XIX. No-  
 vembris D. Elisabetæ sacro An. C.

clo lbc XLV.



Magni-



\* \* \* \* \*  
\* \* \* \* \*

*Magnifice & Eminens Reipubl. Vratislaviensis  
Præses; Nobilissimi, Strenui, Amplissimi Senatores, Patres Patriæ,  
Principes Equestris & Patricii Ordinis Viri; Venerabiles Theologi,  
Consultissimi Jcti, & Causarum Patroni, Experientissimi Medici,  
Excellentissimi utriusq; Gymnasii Professores, & dexterrimi Juventutis  
Informatores, Cives spectatissimi, Candidati variarum Discipli-  
narum probatissimi, Alumni bonarum Mentium lectissimi;  
Mæcenates, Patroni, & Amici, venerandi,  
honorandi, amandi.*

**E** T si ex conscientia Facti ingenuè fatear, me in dicendo neque à natura planè ineptum, neque à cura planè rudem, neque ab Exercitatione & Ufu planè inhabilem esse: tamen nescio qua ratione tria animum hunc aliàs fidentiorem non leviter percellere & conturbare videantur. Primum est illustris Vultûs & Oris vestri Splendor: Secundum, insolitus & antea invisus hoc in Loco Confessus, in quo, quantum ego quidem scio, nulla unquam Oratio audita est: Tertium, Argumenti cum Sublimitas & Difficultas, tum Magnitudo & Amplitudo. Quod primum attinet, videtur mihi idem accidere, quod Militi cuidam ab Augusti Imper. Domino Terrarum supercilio Vultum avertenti: qui interrogatus, cur id faceret, Maximo Romani Orbis Principi ita respondit: Quia Fulmen Oculorum, Domine, non possum pati. Nam inopinatus ille Præsentia vestra, & Vultus ad gravitatem compositi Fulgor non mediocriter mihi attonito Oculos præstrinxit, ac Linguam hanc, si non planè mutam, tamen balbutientem reddit, ut vix tertiata & lapsantia facere Verba posset. Locus verò hic licet Spatio sit nimis angustus, tamen specie & precio rerum hîc depositarum planè inæstimabilium verè augustus, religiosus non profanus, publicus non privatus, Silentii magis sacro, quam Sermoni, Me-  
B dita-

ditationi quàm Orationi habendæ, dicatus, consecratus, me  
 nonnihil concutit; quod ex illo ipso primus ego, è novis quasi  
 Rostris, ad S. P. Q. Vratislaviensem, jussus tamen, Concionem  
 habiturus sim; non abs re subverens, ne illum plus profanem,  
 quàm consecrem, plus dehonestem, quàm honestem. Quod  
 reliquum est; Materiam hanc dicendi, ut sublimem ita co-  
 piofam, ut pulcherrimam, ita difficillimam esse, fatis proba-  
 vero, si saltem dixerò, me de BIBLIOTHECA; de Gazo-  
 phylacio & Cimeliarcho Æternitatis, Auctoritate sanctissi-  
 mi Senatûs, & Jussu providentissimorum Præsidium aliquid  
 pro Tenuitate meâ dicturum. Hoc ipsum tamen effecit, ut  
 licet tria illa Terricula me fatis obstupefactum concusserint  
 & perturbârint, (cùm præcipuè Gratia Vultûs Vestri certè  
 non alia, quàm sereni & nitentis Cœli, me intûs & medullitûs  
 recreet, & nescio, quâ occultâ vi novus mihi vigor redeat,)   
 iisdem, quibus antea perterrebar, excitari me magis magisq;  
 sentiam. Hoc etiam imprimis mihi instar Solatii & Fiduciæ  
 cujusdam est, quod mihi talis oblata sit Materia, in quâ etiam  
 eloquentissimi cujusque Vires & Nervi elangvescere possent.  
 Quare, cùm difficilior sit Pausam, quàm initium dicendi face-  
 re, non mihi tam rerum Copia, quæ uberrima instar Flumi-  
 nis magno impetu dilabentis procurrat, diducenda, quàm de-  
 lectus illarum & Modus tenendus est, ne vestra, VIRI VRA-  
 TISLAVIENSES, Vultûs Serenitate Animi que Hilaritate  
 abutar. Primùm quidem dicendum est de Bibliothecarum  
 olim & hodiè celebriorum, & hujus præsentis initiis, incre-  
 mentis & fatis: Deinde de primis Inventoribus, Satoribus,  
 Statoribus, & Amplificatoribus: Denique de Bibliothecarii  
 Munere aliquid Mantissæ loco addendum. Quemadmodum  
 singuli Homines, integri Populi, Respublicæ, Civitates, Ur-  
 bes, Templâ, Palatia, omniaque Instrumenta & Ornamenta  
 rerum: ita quoque Bibliothecæ nasci, crescere, decrescere &  
 mori solent. Quod si Bibliothecarum, tam veterum, quàm  
 recen-

recentiorum, tam publicarum, quam privatarum omnium, quotquot in Historiarum monumentis descriptas legimus, aut adhuc hodiè variis in Terrarum Locis extant, Fata, Sortes nascendi, crescendi, decrescendi, & moriendi Modos, ex Quatuor Virorum Antiquitati illustrandæ natorum, Justi Lipsii, Fulvii Ursini, Unuphrii Panvinii, & Francisci Schwertii, Commentariis & Elenchis, recensere mihi Animus esses, citius dies quam Vox & Vires deficerent. Vetustissimum esse struendarum Bibliothecarum Institutum, & cum ipsis Literis cœpisse, præter alios etiam Iscanius ille Belgarum Bibliographus haud dubiè veram Conjecturam fecit. Sagacissimus enim ille Oedipus arbitratur, ut primum scire & sapere in Genere humano natum esset, mox cognatum fuisse etiam scribere. Quemadmodum Animal rationis capax, quod hominem appellamus, ut simul vivere & spirare cœperit, mox Nutrimento necessario indiget: Ita etiam recens-nata sciendi & sapiendi Ratio, Scripturam utriusque generis interpretem, tanquam Nutriculam quandam satagebat. Quid quæso esset scribere, quam Venti Spolia, & Quisquilias volantes prodere, nisi Libri scripti tam ad præsentium, quam Posterorum Usus dispositi asservarentur? Liberalissima verò illa colligendorum Librorum Impensa, ex tenui Principio, ut magna Imperia, Opes & Peculia, per Gradus & Temporum Tractus, movet & promovet; & longè facilius crescit, quam incipit. Sed quærat ex me fortasse aliquis, an Cura congerendorum & disponendorum Librorum publica, an privata fuerit? Privatam initiò doctorum & sapientum Hominum illam fuisse, quâ in suo Usui suorumque Corpus quoddam pro Censu & re suâ exstruxerint, postea æmulatione pulcherrimæ & utilissimæ Rei Reges & Principes, non tantum in Usus, verum etiam in magnificum Splendorem & Ambitionem, infinita Librorum Volumina ex variis Terrarum Locis, studiosissimâ cum Luxuriâ, conquista, collocari & disponi curavisse, ex Annalium

Documentis constat. Ejusmodi enim æternis Monumentis sese à communi Mortalitatibus casu tot Secula, tot Gentes, tot Principes, tot Privati asseruerunt. Ut verò ab Oriente incipiam, & exinde ad Occidentem devergam, illic, quantum quidem Scriptis compertum habemus, primùm in Ægypto, Regione uti Frugum, ita & Ingeniorum eò traductorum olim feracissimâ Bibliothecarum struendarum cura regia & augusta fuit. Nam è vetustissimis Regum illius Regni Osymanduas inter cætera commemorabilia Opera, Sacram quoque in Templo Bibliothecam struxit, ejusque Frontispicio Titulum hunc præscribi curavit: ANIMI MEDICATORIUM. Hujus & aliorum veterum Ægypti Regum Exemplo incitatus Ptolomæus Philadelphus, Artium, Ingeniorum, & his affinium Librorum amantissimus, Alexandria ingentem Bibliothecam, instructione & exemplo Aristotelis edoctus, ac ipsis ejusdem Principis Philosophi Libris adjutus, composuit. O verè Augustum, & plusquam regium Thesaurum! sed in re æternâ minimè æternum! Siquidem in bello illo civili Pompejano, ut consentiens Historiarum Fides attestatur, in Direptione Urbis Alexandrinæ Bibliotheca illa, (hoc est, quadringenta, Senecæ quidem, sed septingenta Librorum millia, Agellii calculo, pulcherrimum sanè & pretiosissimum regię Opulentię Monumentum,) tota militum Cæsarianorum incuria conflagravit. Si ab Ægyptiacis ad Græcas Bibliothecas transferimus, quid aliud occurret, quàm illud æternis querelis & suspiriis dignum, quod illas aut Temporum Vetustas attriverit, aut bellorum calamitas diripuerit, aut flammaram rapacitas absorpserit? Ubi jam est Bibliotheca illa Pisistrati cæteroquin famosissimi Tyranni, sed hâc in parte magni Evergetæ, qui primus in hoc studio Auctor (si Noctium Atticarum Scriptori credendum) Athenis exstitit: Perit! Perit! nec uno quidem Leto. Quippe ea ipsa ab Atheniensibus variè aucta, à Xerxe Persarum Rege direpta & avecta, à Seleuco Nica-

Nicanore Syriæ Rege restituta, ad Sullæ usque Tempora superstes, ac postea ab Hadriano Imperatore facile doctissimo amplificata, tandem à barbaris Turcis funditus in nihilum redacta ac deleta est. Ubi est Attali Pergamena, dotata ducentis millibus singularium Librorum? Ubi est Aristotelis? Ubi Polycratis Samii? Ubi Euclidis Poëtæ? Ubi Nicocratis Cyprii? Ubi Laurentina ab Athenæo omnibus illis desideratis prælata? Omnes eheu in Cineres redactæ, ut nihil earum præter Nomen in Libris superstes remanserit! Ubi est Hierosolymitana, quam Nehemias, DEI Sacerdos, è Babylonicâ Captivitate reversus instituit; quæ omnium Regum & Prophetarum Libros, & Epistolas regias ac donaria ostentabat, atque Populi Judaici Res gestas & Victorias, DEO Duce paratas, asservabat? Ea tota, cum ipsâ Urbe Hierosolyma periit. Ubi est Byzantina; in quâ, si Zonaræ & Cedreno credendum, CXX. millia Librorum fuerunt recondita; inter quæ Draconis Intestinum CXX. Pedes longum exstitit: cui aureis Literis geminum Divinitatis Homericæ Opus, Ilias & Odyssæa inscriptum erat? Ubi est Tiburtina in Herculis Templo Tiburi olim ab Hadriano Imperatore reposita? Ubi Cæsariensis, Auctore Julio Africano, insigni Philosopho, Historico & Theologo cœpta, quam Pamphilus & Eusebius adeò locupletarunt, ut nulla tunc celebrior haberetur; quam etiam D. Hieronymus ipse in rebus difficilioribus consuluit, atque ad manuscriptorum Codicum ibidem castigatissimorum Veritatem Veteris Testamenti Libros emendavit? Periit, periit, ac incertum quo Fato! Etsi Euzojus, Episcopus Cæsariensis illam collapsam restituere conatus sit? Ubi est illa Rhodia, ex quâ Athenæo teste Ptolomæus Philadelphus ditando Alexandrinæ suæ Corpori multos Libros redemerat? Domi & foris, quicquid illius fuit, periit! Ubi est Cnidia in Insulis cycladibus, Medicis præcipuè Libris referta? Periit, periit, & quidem Invidiâ Hippocratis, qui Cnidiis novarum in Re Medicâ Senten-

tiarum Inventoribus infensus, illam incendisse à nonnullis traditur. Porro si à Cræcis ad Romanas Bibliothecas situ & ævo nobis magis propinquas descendamus apud illam magis Martiam, quàm Musicam Gentem cum Literarum culturâ Bibliothecarum curam & elegantiam seriùs & quidem parvis ac similibus Imperii sui Initiis cœpisse. Nam per intervalla Temporum Triumviri hi Triumphales: Æmilius Paulus Perse Macedonum Rege devicto, deinde Lucullus è Pontificâ Prædâ, denique Cornelius Sulla ingenti Sumtu, magnam Librorum Copiam Romam advexerunt. Quo parandi studio utilissimos Libros, & palàm communicandi & præsentibus Usui, & posteris incitamento fuère, simile aut majus quiddam moliendi. Nam privatorum secuti Exempla Divi Imperatores, Julius Cæsar, Augustus, Tiberius & Vespasianus, constituta auxerunt, & novas instituerunt: Ac, quod prodigii loco est, immanissimus Domitianus ipse (qui alias non tantùm in ipsos Præcones laudabilium rerum & Personarum, verùm etiam in Libros, Monumenta Clarissimorum Ingeniorum, sæviit,) ratus Igne illo funesto posse P. R. Vocem & Conscientiam Generis humani aboleri (si Svetonio credimus,) Bibliothecas Incendio absumtas impensissime reparari curavit, Exemplaribus undique conquisitis, missisque Alexandriam quibusdam Librariis, qui ex illâ primigeniâ & quasi Matrice aliarum Bibliothecarum, etiam eo adhuc ævo habitâ, describerent & emendarent. Præter Hadrianum, Antonios & alios M. etiam Ulpus Tacitus Bibliothecarum curam habuit: Qui inter alia Ingeniorum Monumenta Scriptoris sui gentilis Opera frequenter describi, & in omnibus à se restauratis Bibliothecis collocari jusfit. Sed licet ab allegatis illis, & aliis succedaneis non laudatis corruptæ Bibliothecæ refectæ & adornatæ, & ex cineribus, situ & squalore vindicatæ fuerint, ut Aurelius Victor Auctor est; tamen eheu, quam à Memoria etiam evanuerunt, ut ex illis vix septem (quarum præ-

præcipuè Palatina & Ulpia ) exquisita Lipsii Industria inda-  
 re, & Nomina saltem earundem ab oblivione vindicare po-  
 tuerit! Porrò si à veterioribus in recentiora Secula digredie-  
 mur, & à Gentilitiis ad Christianas nonnullas celebriores Bi-  
 bliothecas divertemus, ( quarum locupletissima omnium  
 Terrarum Italia, Princeps Ingeniorum & Studiorum ) VA-  
 TICANA illa Romæ meritisimo suo agmen ducit. Ea enim  
 à primis propè Sedis Pontificiæ Insefforibus, initiò in Late-  
 rano instituta, hinc in Vaticanum translata, ut ad Usus Ponti-  
 ficum paratior esset, à Nicolao V. egregio inter Pontifices,  
 literatissimoque in semibarbaro illo ævo Principe, non me-  
 diocriter aucta; à Sixto V. Patrum Memoriâ mirificè locu-  
 pletata, Picturis, Imaginibus, & aliis innumeris Ornamentis  
 decorata, variis Legatis, ac præcipuè non adeò pridem, Ur-  
 bano VIII. sedente, Palatinæ Bibliothecæ auctario, ad invi-  
 diam usque dotata & ditata fuit. Invitus prætereo brevitatis  
 Cancellis circumscriptus alias Urbis Dominae Bibliothecas,  
 nominatim Canonorum, Petrinorum, Cardinalis Sirleti  
 Libris Græcis refertissimam, quæ nunc Cardinali Ascanio  
 Columnæ cedit: Sfortianam & Farnesianam Auctoris  
 Græcis manuscriptis plenam, Urfinianam, & Manutianam:  
 quarum ultima LXXX. millia Librorum dives redempta Pisis  
 asservatur. Si extra Romam alias Italiæ Bibliothecas, non pro  
 Dignitate tantorum Thesaurorum oratione exornare, quam  
 saltem simplici Stilo enarrare vellem, prolixi Libri & integræ  
 Historiæ non compendiosæ Narrationis res foret. Præter-  
 mitto Bibliothecas Venetorum, publicam in Foro D. Marci  
 repositam, quæ Studio & Opera Francisci Petrarchæ adole-  
 scere, & Legato librorum Cardinalis Bessarionis inæstimabi-  
 li efflorescere, atque liberali ultimâ voluntate itidem Purpu-  
 ratorum Patrum, Hieronymi Alexandri ac Grimani, matu-  
 rescere cœpit; ut & ibidem illi secundas alias, diversis in Ædi-  
 bus sacris & Cœnobiis collocatas. Ne dicam de privatis Da-  
 nie-

nielis Barbari, Johannis Delphini, Mocenigorum, Ludovici Balbi, Augustini Amadæi, aliorumque patriciarum Familiarum librariis Thesauris. Transeo sicco Pede Bononiensium duas, Florentinorum sex, Neopolitanas totidem, Ferrariensem, Urbinatem, Vicentinam, Bergomatem, Ceseniam, Mediolanensium, Borromæam, Papiensem, aliasque: quarum omnium Summariam Franciscus Swertius, solertissimus Antiquitatum & Raritatum recentiorum Indagator, in suo præcipuarum Orbis Bibliothecarum Elencho, mentionem fecit. His quidem Deliciis & Divitiis Æternitatis Italia adhuc salva uti frui potest, sed eas ipsas fatalibus Vicissitudinibus ac Fortunæ injuriis, si DEO ita visum fuerit, obnoxias fieri posse, docet Jactura Pinellianæ Bibliothecæ. Nam cum Johannis Vincentii Pinelli, Patritii Genuenses per XL. Annos inæstimabilem Librorum Thesaurum comparatum, defuncti Curatores Genuam transvehi curarent, Navium altera cum XXXIII. capsarum Sarcina in Turcicos Piratas incidit, qui Prædæ opulentæ inhiantes, visis Chartis, gaudio in Furorem verso, inutiles sibi, ut Barbari rebantur, Merces in mare abjecerunt. Si jam perlustratis Italicis cis Alpes ad Gallicas Bibliothecas transcenderimus, earum præcipuè tres eminent, ut Sol, Luna, & Lucifer, inter minora Sidera. Primùm Regia, à Francisco I. indulgentissimo Literarum Parente; Deinde Medicæa, à Catharinâ earundem, more Gentis suæ, munificentissimâ Studiorum Matre; Postremum, Thuanica, à Jacobo Augusto Thuano eminentissimo Curia Parisiensis Præsidente, uberrimo Gallorum Livio, singulæ in usum publicum structæ & communicatæ. Quod si vobis, Auditores, allubescat mecum trans Montes Pirenæos ire, ibi se in Carpentanis Hispaniæ Finibus, cum novo & octavo Mundi Miraculo, Cœnobio Laurentiano, quod à Situ Pagi ferrarii Escuriale dixerunt, augusta illa & regiæ luxuriæ Bibliotheca, Oculis & Mentibus nostris delicias, & merum Nectar, & Ambrosiam propina-



pinabit. Eam Didacus Hurtadus Mendoza, D. Caroli V. Imperatoris olim apud Venetos Legatus, acceptâ è mediâ Græciâ Græcorum Librorum plenâ navi, mirificè dotavit. Si placeat, Auditores, mecum Caleto in Britanniam trajicite, & ibi Oxoniensem, quam olim Thomas Budlejus, Eques Aurutus, instituit, considerate; cujus Libertatem & affluentiam Librorum ex Cathalogo Thomæ Jamesii evulgato abundè cognoscere licet. Si è maximâ Insularum in Belgium transfretare libet, istic quoque spectare licet, geminas Sorores, unam Lovaniensem armatæ Palladis Belgicæ Primogenitam, quæ optimis Libris manuscriptis & editis instructa, Bibliothecis Triumvirorum horum Lævini Torrentii, Caroli Langii, & Justi Lipsii, in justum Corpus excrevit: & Leidensem minimam natu; quæ inter media Arma, & Furores bellicos, cum ipsâ ibidem Academiâ, ut Pallas è Cerebro Jovis orta, aut ut Venus, sed casta, ex Oceano ab Iberis obsesso emerfit. Ea à modicis Initiis orta, amplissimis Josephi Scaligeri & Bonaventuræ Vulcanii, illustrium olim recens-natæ Academiæ Siderum Legatis, egregiè amplificata, nunc abunde Opes suas ostendat. Ut taceam alias minoris Famæ in Belgio Bibliothecas, Atrebatensem, Affligemiensem, Ordinibus Ecclesiasticis dicatas; ac multas opulentiorum Privatorum alias, inter quas Jani Rurgerfii, omnium Batavicarum locupletissima fuit, Heinsio Præcone, cui propter Conjugem Ermegardin illius defuncti germanam Sororem, Hæreditas libraria cesfit. Nec Cimbrica Chersonesus harum Opum eget. Nam inter alias ibi Bibliothecas Henrici Ranzovii familiam ducit, quam cum Alphonso Arragonio, illo Regum longè sapientissimo, suas Divitias & Delicias, imò Regnum omnibus Regnis preciosius, censuit. Ipsa Svecia, postremum Septentrionalium Regnorum, Gothicus & Vandalicus Sangvis, quæ olim barbara tot veteres Italiæ Bibliothecas cum ipsis Urbibus incendio delevit, hodiè exteræ Urbanitatis & polituræ Imitatrix,

C

trix,

trix, Bibliothecas etiam nonnullas inter alia opima Spolia è Germaniâ traductas, jam domi, ut Fama est, ostentat. Polonia omnium Septentrionalium Terrarum ut amplissima, ita cultissima, in Cracoviensi Academiâ antiquissimâ Studio- rum Matre, ac in novâ Samosciana, Filiâ vel armatâ Pallade Johannis Samoscii, egregios Librorum rariorum Thesauros asservare dicitur. Quid? nec Rusios ipsos barbarum alioquin, & unicè Dominis suis, seu Tyrannis, servire natum Populum, hanc Literariam abundantiam & elegantiam respuere, Cæsar Campana Italus Polyhistor tradit; qui etiam, in quâdam Moscoviæ antiquissimâ Bibliothecâ Libros VI. Ciceronis de Republicâ aureis Literis exaratos extare, affirmare ausus est. Quid dicam de veteri & valdè composito Sinensium Regno? In eo enim Cura Copiæ librariæ vix tantoperè publica, quantoperè privata; adeo, ut quælibet domus illic suam Bibliothecam, ut apud nos Supellectilem variorum Instrumentorum & Ornamentorum habemus, in Usus & Magnificentiam exponere soleat. Sed propè cum Injuriâ meritorum regionum excidisset mihi Budensis in Hungariâ eheu olim Bibliotheca Regia. Eam inclitus & suâ ætate Turcis & Christianis vicinis formidabilis Rex Pannonum, Matthias Corvinus, ex omni Scriptorum Hebraicorum, Græcorum & Latinorum genere confertissimam instruxerat, & in amœnissimo Templo Budæ, tanquam Serapéo quodam Ægyptiaco, consecraverat. Hic alter Evergeta, Brasficani Elogio, quatuor diligentissimos Librarios Florentiæ magnis impensis aluit, qui sub primâ adhuc Typographiæ Infantiâ melioris notæ Auctores, quos ex Græciâ habere minus potuerat, bonâ Fide describerent. Sed quod M. Tullius Cons. de Conjuratis Catilinæ sublatis olim dixit, illud nos non sine gemitu & alto Suspirio de illis tot Seculorum, tot Gentium Civibus dixerimus, VIXERUNT! O inauditam Turcarum Immanitatem! O efferatam Barbarorum Insaniam! O irreparabilem æterni Thesauri Jaçturam! Ita cum

cum florentissimo Hungariæ Regno maximam partem nunc dilacerato & discerpto hæc pariter Bibliotheca, Memoriae & Perennitati consecrata, tota interiit, ut nullum illius Vestigium, nullæ Reliquiæ, nullæ communis Naufragii Tabulæ colligendæ, supersint. Peragratis Orientis & Occidentis Bibliothecis, nunc in mediotullio Europæ, Germanicæ tandem celebriores perlustrandæ essent; de quibus habitâ Temporis ratione in præsentiarum præstat planè filere, quàm pauca dicere. Inter illas verò Heidelbergensis, dedicata primùm ab Ottone Henrico, sub Friderico IV. Archidapifero, Liberalitate Ulrici Fuggeri aucta, Paginam utramque facit, quæ manuscriptis, potissimâ sui parte Hebraicis, Græcis Latinisque authenticis, omnes propè Europæ Bibliothecas provocare potuit. Quâ quidem non fortuito aliquo Igne absumtâ, sed Belli Civilis Incendio sublatâ, & tanquam captiva aliqua Regina foris in Triumpho ductâ, dexter Germaniæ Oculus effossus esse videtur. Vellem hîc ex tenerrimo Commiserationis & Desiderii Affectu talem & tantam Querelam super incomparabili hæc Jacturâ instituere, qualem & quantam olim Joh. Alexander Brasicanus super Interitu Budensis Bibliothecæ instituit, si Lacrymis & Lamentis muliebribus irreparabilia reparari possent. Quamobrem præteritis aliis clarissimis Bibliothecis, Viennensi, quæ non mediocri Incrementum Johanni Sambuco debet, Fuldensi, quæ miserè in hoc Bello Germanico direpta, Coloniensibus aliquot Monacensi, Moguntinâ & Augustanâ, & Norimbergensi (cujus Thesaurus nuper Joh. Saubertus, pius, doctus & moderatus Theologus, Bibliothecarius ibidem, Posteritati æstimandos, Oratione elegantissimâ proposuit) ad Vratislaviensium Bibliothecas me converto. Non verò hîc recensebo Divitias vetustissimæ illius in Templo Corporis CHRISTI, neque ejus ad D. Adalbertum positæ, neque illius in Insulâ D. Johannis, à Friderico Bergio, dignissimo Corporis illius librarii Digestore, & tanti The-

fauri Custode, in ordinem redactæ: quæ Anno currentis hujus Seculi clo lcc XXXII. direpta Flammis, aquis, institoriâ, aliisque miseris modis direpta, distracta & consumta, cum vicina Mariani Cœnobii, à Johanne Fersio Canonico Vratislavienfi, & Viro Græcarum Literarum peritissimo locupletata, non uno mortis genere perierunt. Prætereo hoc loco Bibliothecam Rehdigerianam, in Elisabethano Templo depositam, quam versatissimus Silesiorum Ulysses, idemque Mæcenas Hominum Eruditorum magnificus Thomas Rehdingerus magnis Impensis in variis Terrarum Locis collectam, Legatum Familiæ suæ nobilissimæ, & commune Reipublicæ Bonum esse constituit. Prætermitto etiam redimendi Temporis gratiâ Bibliothecam Dudithianam: sed quam distractam in manus incidisse Hominum vel illiteratorum, vel Literas parùm curantium; neque adeò illustris ac incliti Viri Librorum, quàm Liberatorum melius Fatum ac Fortunam extitisse, vehementer equidem doleo. Neque hic erit Locus honorificam mentionem facere Bibliothecæ Cratonianæ, quam hodiè Magnificus Vir Johannes à Pein, altitonans ille Silesiæ Pericles, & verus quidam Confus, ex liberali Illustris Annæ L. B. de Krauseneck, gente Heugeliæ de Polokowitz Legato, ut inæstimabilem Thesaurum, possidet. Nolo etiam Schillingianæ, variis & raris Libris refertissimæ, vel tribus saltem meminisse, quæ hætenus in diuturno Situ & squalore Tineas & Blattas contra doctissimi olim Testatoris votum pavit. Sed nunc in præsentî de MAGDALENÆA BIBLIOTHECA, cujus gratiâ hoc in loco hodiè Jussu Amplissimi Senatûs solennis Panegyris instituta est, Verba paulò prolixius faciam. Quam, si ut Hominem consideravimus, totamque ejus Ætatem percensuerimus per Gradus, ipsam ex Infantiâ in Pueritiam, ex Pueris in Ephebos, ex Ephebis in Juvenem, ex Juvene in Virum, procesfisse deprehendemus. Ea enim procul dubio, licet Majores nostri negligentius definitum Tempus obser-

observarunt, cum ipsâ renascente Evangelicæ Veritatis Doctrinâ, tanquam necessarium propugnandæ & propagandæ illi Instrumentum, in Ecclesiæ & Scholæ Usus exorta, Infantia Nomen dedit. Hinc Rehdigeriano Legato, posteriore superioris Seculi Semisse auctior in Pueritiam progressa est. Cum seculari currentis hujus Seculi Anno procesit in Adolescentiæ Florem: Donec intra Triennium nuper præterlapsum tanto Auctario confirmatior ad Virilis ætatis maturitatem ascenderit. Quam dum attigit, ex penitâ Animi mente apprecor, ut magis magisque adjuta Evergetarum in posterum Munificentia ad robustum quoddam Incrementum procedat, atque in isto Statu Culmine ad omnem usque Posteritatem fixa consistat. DEUS Optimus Maximus avertat omne sinistrum Omen, ne Ægyptiacarum, Græcarum, Romanarum, veterum, recentium, incendio consumtarum, aut à Tineis & Blattis arrosarum, aut direptarum, aut submersarum Fato simili pereat: Sed Antiquus ille dierum Sator & Stator omnium Rerum, pro suâ plusquam paternâ Benignitate, Bibliothecæ huic Magdalensæ incolumem Perennitatem largiatur, quô ea magis magisque ad cœlestis illius Datoris Gloriam, Præsentium, & seræ Posteritatis Bonum publicum, crescat, efflorescat, vigescat. Cæterum Hæredum aut Successorum improbitas, Hostium & Latronum injuria, Domesticorum Fraus, Elementa adeò ipsa, atque ipsa Temporum Vetusitas rerum omnium edax illos æternitati dicatos Thesauros abolere, arrodere, conterere & perdere solent.

Quoniam verò de Bibliothecæ nostræ Initiis, Progressibus & Incrementis diximus, de Auctoribus, Custodibus & Amplificatoribus; tanquam Parentibus & Patronis breviter aliquid dicendum erit. Quemadmodum verò illa ipsa certis humanæ ætatis Gradibus, ut Animal ratione præditum, cœpit, adolevit, ad juventutem emerfit, & viriliter maturuit: ita in edolando hoc, quasi spiranti Corpore, certi Parentes,

in educando Doctores, in proferendo Evergetæ munifici & favorabiles Mœcenates concurrerunt. Primus Parens, hoc est, primigenius hujus Magdalenæ Bibliothecæ Conditor extra dubium fuit Johannes Hesius, primus in hac æde Evangelicus Pastor, antea Canonicus, Doctrinæ eruditæ, Eloquentiæ raræ & inculpatae Vitæ Theologus. Post cujus beatum è vivis Excessum bona Librorum Theologorum Pars prima Bibliothecæ hujus Fundamenta posuit. Cujus Exemplum postea alii secuti, in Usus Ecclesiæ & Scholæ litterarium hoc, ut sic dicam, ædificium superstruere certatim allaborarunt.

Nam ut alia ita etiam hæc Bibliotheca facilius crevit, quam cœpit. Sicuti præeuntem Bovem tot Armenta, prævolantem Ducem, tot subsequæ Grues, aut Regem suum tot congregatæ Apes: Sic pii pios, munifici munificos, sequi solebant. Nam circa id Temporis optimus & integerrimus Juvenis Martinus Ratgius C. Imperiales augendæ Bibliothecæ Testamento legavit: cujus Effigies illic ad Januam Memoriam ergo posita introeuntes similis Munificentiam edendæ admonere videtur.

Si Usura Temporis fruendi nobis suppeteret evolvendi Opera & Volumina dono data, offerent se nobis hilarium Datorum, Borckiorum, Sauromannorum, Ribitziorum, Hainoldorum, Reicheliorum, Engelhardorum, Fürstiorum, Ebenorum, Büttnerorum, Hotomannorum, Schmidiorum, Althofiorum, Monaviorum, Scholtziorum, aliorum Patricii generis, præter innumeros Tribunitiæ Sortis Homines, magna Nomina. Nec peregrini nobis defuerunt: quorum præcipui, Perillustri & Generosissimus Dominus Nicolaus, Comes Salmenses; Johannes Schafgotschius, Christophorus Seidlicius, & huic ejusdem Nominis Zedlicius, Seidlicius, prænobiles Heroës; Christophorus Heilwigius, Civis & Mercator Venetus, aliique: qui omnes rarioribus Libris dono obla-

oblatis Memoriam sui nobis commendatissimam reddiderunt. Nuperius verò Eminens Genere, Doctrinâ, & Dignatione Matthias Hoëus & Daniel Sennertus, Germaniæ Hippocrates, atque illustre Vratislaviæ Patriæ suæ denegatum Sidus, ambo immortalis & planè cœlestis Ingenii sui Fœtus publicè expositos hîc etiam reponi voluerunt. At imprimis omnibus Laudum numeris depredicanda est Liberalitas Nicolai Rehdigeri, qui non tam domi inter suos magnificâ Præfecturæ Urbis & Ducatus Vratislaviensis Præeminentiâ, quàm etiam foris, cum propriæ Virtutis Gloriâ, tum suorum Fratrum germanorum, Johannis Consilarii Cæsarei, & Thomæ prudentissimi Peregrinatoris, Thesauro raræ Bibliothecæ & Cimeliorum relictorum apud nos immortalis mutuatitio Famæ Lumine, apud Italos, Gallos & Belgas latè inclaruit. Ille, inquam, olim summus Reipublicæ nostræ Præfectus, augustum illud Opus regium, quod curâ B. Ariæ Montani prodiit, Theatrum Orbis Ortelianum, aliosque aureæ notæ pretiosissimos Libros ingenti Sumtu comparatos, graphicâ cum Templi Hierosolymitani Scenographiâ, Posteritati hoc ipso in loco consecratos esse voluit. Cujus Insignia quoties in Fenestra & Libris donatis appicta aspiciamus, & quoties Manum, ut olim optimè de Patriâ, ita nunc & porrò de serâ Posteritate Monumentis hisce Æternitatis meritisimi Viri insertam legimus, toties lautissimæ hujus Rehdigeriæ Liberalitatis non sine perpetuâ animi Gratitudine cognoscendæ & imitandæ commonefieri videmur. Ac licet tum Bibliotheca nostra Scriptis potissimum Theologicis, Historicis & Philosophicis abundaret, tamen in Juris Disciplinâ nonnihil desiderabatur; Unde huic Defectui amplissimo Bibliothecæ Juridicæ (quam Andreas Hertwigius J. C. Cæs. Majest. olim Consiliarius & per utramque Silesiam Fisci Patronus, moriens legatam publicè destinavit) Augmento satis superque provisum est. Cui Corollarium quoddam accessit Bibliotheca quædam Juridica

con-

contractior, quam vulgo Tractatum Tractatum appellant; Opus sanè magnis Sumtibus Gregorii XIII. P. R. munificentissimè, Studiorum Evergetæ publicatum: quod à Joh. Aichheusero Stanislai illius nostri cheu non ita pridem erepti Patriæ Patris Parente æternis Monetæ Tabulis suspensum est. Nec sine Ingratitudinis notâ fieret, si absq; honorificâ felicis Recor- dationis Præfatione, silentio à nobis prætermitteretur per- quam-reverendæ & illustris Dignationis, Eruditionis ac Vir- tutis cum pari Modestiâ & Humanitate dum viveret, Vir sum- mus, Fridericus Bergius. Qui ut suæ Religionis retinentissi- mus, ita nec alienæ rigidus Censor, Vratislaviæ perpetuus Fautor & Amicus, in Testimonium Benevolentiaë & Grati- tudinis, pro Tutelâ & Securitate sibi in Decumanis temporum tempestatibus præstitâ, secundum Biblia sacra optimi Com- matis, Principes Græcæ Ecclesiæ Doctores, Chrysostrum curâ & studio Henrici Savilis, Equitis Anglici, Græcè & typo- graphejo regio nitido Cultu non sine magnis Sumtibus (vi- ginti quippe Florenorum millibus ei Operi impensis id ipsum attestante Abrahamo Sculteto magni Nominis Theologo in narratione de Vitæ suæ Curriculo) editum: Basilium Ma- gnum, ut & paganæ, Sapientiaë Antiquitatis & Historiaë Co- rypheus: Aristotelem, Plutarchum, Xenophontem, Thu- cydidem, Epistolas Græcas, Lucianum, & veterum palmæ paria, aut etiam majora nonnullis Opera; videlicet divinum Josephi Scaligeri de Emendatione Temporum, & admiran- dum Jani Gruteri Inscriptionum Romani Orbis antiquarum, cum aliis Græcis Cimeliis & Testudine singularis notæ, quam lenimen Curarum suarum vivus non rarò esse voluit, huic Bi- bliothecæ ante plusculos Annos destinata, & legata per Cu- ratores Testamenti sui & Hæredum suum Institutum ab Ex- cessu suo offerri curavit. Sed inter omnia collata certatim do- naria, nullum speciosius, nullum pretiosius est, Legato Ziero- tinianorum Librorum Wirbiano. Tanti hujus Beneficii cau-  
sa



sa fuit remotior, Perillustris & verè generosus Carolus L. B. à Zierotina, Rositii, Zdrebohostitii, Prerarae, Zdrebitii, &c. Dominus, Sac. Cæs. Majest. Consiliarius, & Pro-Marchio olim Moraviae magnificentissimus: Heros ille Regibus & Principibus, quâ domi, quâ foris venerabilis; nec minus seriæ in DEUM Pietatis, quàm constantissimæ in Cæsareos suos Observantiæ, adeò ut gloriari potuerit, se dictis illius in Sensu & Cultu observandis audientem fuisse, neque unquam cum legitimo suo Magistratu in Gratiam rediisse. Hic ut in hâc Silesiæ Metropoli, sævientibus Decumanis publicarum Tempestatum Procellis, tutum Portum ac securum Receptaculum invenit: sic illam eandem Favonio uberius gratiæ meritisimò profecutus fuit. Proximior verò Causa exstitit, Generosissimus Carolus L. B. de Wirbna, Sdenconis Filius, Caroli Senioris Zierotini ex Benignâ Filia nepos atque ex Assè Hæres. Qui Princeps Juventutis, ceu illustre Ingenium brevioris ævi, memoraviti erga Vratislavienses Affectus, non unis Indiciis comperti, ut Monumentum ejus apud Posteris quoque exstaret, Bibliothecam Zierotinianam lubens meritoque Reipublicæ nostræ moriens legavit.

Quamobrem, ne hæc ultima Macaritæ Baronis Voluntas in irritum abiret, institutus ab illo Hæres, Illustrissimus Wenceslaus de Wirbna, S. R. I. Comes, Divis Imperatoribus Matthiæ & Ferdinando II. & nunc Sacratissimæ Cæsareæ Majestati Ferdinando III. Augusto, ab intimis Consiliis & Cubiculis, per fidissimum Ministrum & Procuratorem Zierotiano Wirbianum à multis annis solertissimum, Georgium Matthæi à Kaltenbrunn, traditis Libris, Anno currentis hujus Seculi XLI. Mense Februario, eandem illam sanctè executus est: atque hoc Pacto cum Testatoris nomine suum quoque Æternitati consecravit. Tantos Thesauros, tantas Gazas, Wirbiana Pietas Vratislaviæ nostræ contulit. Sive enim ad Theologos venio, plerosque Ecclesiæ Latinæ Patres invenio,

D ubi

ubi Augustini multijugam Scientiam cum pari Acumine, Tertulliani vim & Lacertos dicendi, Lactantii diffusam & propè Tullianam Eloquentiam, & quam primo loco ponere debebam, Hieronymi ingentem simul Pietatem ac Facundiam, Bernhardi Dulcedinem & Svavitatem, satis admirari non possum; quorum posterioris Meditationes, celeberrimus quidam hoc ævo Orator, Rivum Paradisi, Ambrosiam Animarum, Pabulum Angelicum, Medullam Pietatis, jure merito vocavit. Si deinde me ad Jurisconsultos converto, præter universum Justinianæi Juris Corpus, & Imperatoriam Legum Civilium Majestatem, veteres & novos Interpretes & Doctores longâ serie vix numerabiles video. Si ad Medicorum Scripta (quorum quidem pauciora Zirotiniana Munificentia contulit) Oculos & Animum intendo, tamen vel solus Galenus Defectum hunc refarciet, Mare illud Eruditionis, Oceanus Disciplinarum, omnium ingenuarum Artium Promus-Condus, & quasi quædam Bibliotheca. Jam si ad Philosophos, meas Delitias, animi mentem dirigo, in Cælo hoc Philosophico Plato DEUS Philosophorum, me in Stuporem rapit, qui Valerio Maximo suffragante omnium Mortalium sapientissimus habitus est, eò quidem usque, ut, si ipse Jupiter cælo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore Facundiâ usus videretur. Cui proximum accensemus magni Doctoris majorem Discipulum Aristotelem, summum in omni Doctrinarum genere Virum, quò nihil acutius, nihil politius & scientius Natura unquam produxit: Unica Regula & Exemplar, quod illa ipsa rerum Parens ad demonstrandum ultimam Perfectionem invenit. Ad hujus Latus proximè sedentem video maximi Præceptoris magnum Discipulum Theophrastum, dignissimum Virum, qui eo Seculo viveret, quod Socratem tulit, Platonem vidit, Aristotelem Generi humano dedit, Triumviros constituendæ Philosophiæ sine dubio cœlitus demissos. Ex Historiis Græcis eminent, ut  
Stel-

Stellæ, Thucydides, Elocutione totâ gravis & brevis, densus Sententiis, sanus Judiciis: Polybius, illi iudicio & prudentiâ haud dispar, stilo tamen solutior: Plutarchus, ad Virtutem pariter & Prudentiam manductor: Xenophon, dulcedine Orationis Apicula verè Attica: ut reliquos infimæ notæ, sequioris ævi & Eruditionis mediocris Philosophos silentio transeam. Si ex Oriente in Occidentem, à Græcis ad Romanos curiosâ Animi Intentione peregrinor, me in admirationem rapit cœlestissimum Ciceronis Os: quod Ingenium propè solum Populus Romanus par Imperio suo habuit: nec minus aliquem Sapientiæ Studiosum abripit igneus ille Spiritus & divina Mens Senecæ, sapientissimi Romanorum: ut & Plinii (quem quidam Naturæ Bibliothecarium concinnè dixit,) acre Ingenium, incredibile Studium, & summa Vigilantia. Ex Historicis me tenet Patavini Scriptoris Ubertas cum probâ Fide & Iudicio Historico: Salustii nervosa, & ex Thucydide expressa, inimitabilis brevitatis: Taciti ignei planè Auctoris & non nisi igneas Animas admittentis, Acumen, Prudentia & Iudicium incomparabile. Hos admirabiles aut Scientiâ, aut Sapientiâ, aut Prudentiâ Scriptores, aliosque cum plures, quos lubens prætereo, nobis Wirbiana Pietas in Sinum Magdalenæi Corporis nostri Librarii contulit. Silentii velario involvam recentiores Theologos, Historicos, Philosophos, Poëtas & miscellaneos Scriptores, non quod tantummodò Veterum sim Admirator, recentium incuriosus; sed quod temporis ratio omninò habenda, & latè diductis Augmentis, quoque de Ornamentis aliquid summatim deliberandum sit. Audistis itaque Auditores indulgentissimi, quod Bibliotheca nostra, crevit occulto velut Arbor ævo: Nunc quoque attendite, quæso, quomodo illa ipsa, cum jam per Gradus ætatis & certos Processus accrevisset, in primordio hujus Seculi ingredientis nomine & Auctoritate Incliti Senatus, tum summo Urbis & Ducatus Vratislaviensis

Præfecto, Abrahamo Jenckwitzio, ab amplissimo tum Tem-  
poris Curatorum & Ædilium hujus Templi Pari; Davide  
Köslero, Viro Senatorio, & Michaële Fürstio, Patricio cive  
in ordinem, quem partim ante nuperam Renovationem vi-  
distis, partim adhuc videtis, redacta, & appensis Tabulis  
Geographicis, Genealogicisque Regum Bohemiæ, & Du-  
cum Brunsvicensium, Imaginibusque DD. Impp. Frr. Rudol-  
phi II. & Matthiæ, Familiæ Electoralis Saxonicæ, gemino-  
rum Parastatarum, Lutheri & Melanchthonis, & piorum  
quinque hujus Ædis Pastorum, Hessi, Curæi, Pollionis,  
Fleischeri & Scholtzii artificiosè expressis, illustrata fuit. Ne  
verò Bibliotheca solis Libris, Tabulis & Imaginibus sine ali-  
quo venerandæ Antiquitatis Monumento eniteret, ecce Ur-  
narum fictilium, non ex longinquis Terrarum Oris allata-  
rum, sed in Pago Vratislaviensis Ditionis Ranserno fortuito  
casu ex editiore colle XV. Aprilis, An. CHRISTI clō Idc XIV.  
erutarum Exemplaria magna, medioxuma, minuta, spectan-  
da communis Mortalitatæ Monitores exhibemus!

Cum etiam Natura Hominum sit Novitatis, Miracu-  
lorum & Prodigiorum spectandorum avida, en vobis, Au-  
ditores, Thomam Schweikerum, Halâ Svevorum oriun-  
dum, Monstrum Hominis in Corpore, sed sine vitio Animi,  
vivâ Imagine expressum, vobis spectandum, & Defectum  
Corporis Ingenii Virtute eximiè pensantem contemplan-  
dum, digitis quasi monstramus! Hic est ille Artifex, quem  
Natura quidem Noverca, in Conformatione Corporis hu-  
mani, Brachiis & Manibus ad scribendum, & alia operandum  
destituerat; sed eadem benigna Mater cum curâ adjutrice  
Facultatem illa scribendi, & alia operandi pedibus largiter re-  
sarfit; adeò ut illius Scriptura non uniformis, sed multiformis,  
non rudis & proletaria, sed tersissima, & variis Ducti-  
bus elegantissima, ac paucorum Manui imitabilis, Penna-  
rum Instrumento, quarum duo Exemplaria ab ipso Magistro  
sibi

sibi ministerio eorundem Pedum præparatarum, pensilia ex-  
 tant, monumenti loco Spectatoribus & Lectoribus Fide pu-  
 blicâ confirmata, non sine admiratione & stupore ostenda-  
 tur. Parem Curam imò majorem Antecessorum suorum  
 conatu, Auctoritate Inclyti Senatûs, provida Curatorum  
 nunc Rem Ecclesiasticam administrantium Industria edidit;  
 quæ, cum accessu Amplissimi Wirbiani Legati modicus Pul-  
 pitorum Numerus Libros non caperet, disjectâ priori Stru-  
 cturâ & Ordine Bibliothecam hanc ingenti Sumtu pretiosam,  
 & magnifico Splendore speciosam, Conspectui & Oculis  
 Spectatorum, lectorum, & usufructuariorum, publicis Com-  
 modis inservientem ita fieri mandavit, curavit. De cujus no-  
 vo Cultu, & Vultu, Apparatu & Ornatu, si post luculentam  
 Inscriptionem & Epigrammata argutissima frontispicibus  
 Repositoriis præscripta, Auctore Nicolao Henelio, J. C. Vi-  
 ro Summo, & Nestore Reipublicæ hujus gravissimo, ali-  
 quid scribere vellem, esset novum Homericæ Iliados opus  
 conari. Quapropter meum saltem erit, strictim & summa-  
 tim, Tutores & Patronos hujus Magdalenæ Minervæ tan-  
 quam in Peplo quodam, quasi olim Heroës Homericæ intex-  
 ti extabant, nominare & repræsentare. Tibi itaque B. STA-  
 NISLAE AICHHEUSERE ( qui licet casu Mortalitatæ ni-  
 mis maturè Patriæ laboranti præreptus, tamen felici nostræ  
 Recordationi nunquam elaberis, dum Monumenta Justitiæ,  
 Moderationis & Liberalitatis apud nos vivent, ) indolendum  
 foret, quod Te Eminente Inclitæ hujus Reipublicæ Præside,  
 hæc Bibliotheca efflorescens tuis Oculis non usurpata fuerit;  
 nisi jam Librum Electorum, cui ipse Manu DEI inscriptus,  
 & Bibliothecam Omniscientiæ in Cælum translatus æternis  
 in Deliciis haberes: atque nisi insuper Solatio nobis foret,  
 quod in supremo Reipublicæ nostræ Præsidio, DEO ita rem  
 disponente, & sapientissimo incliti Senatûs Consilio dirigen-  
 te, Tibi, Anima Cælo recepta, par Successor surrogatus  
 esset,

D 3



esset, Magnificus, Eminensque Vir THEODORICUS GARTZIUS. Cujus diuturna Merita Senatus Populusque Vratislaviensis pridem vidit, & agnovit, nunc summâ cum Reverentiâ colit & suspicit, ac oblato summo omnium Senatoriorum Honorum fastigio, & quasi Solstitio, compensare annisus est. Cujus venerandam & planè Nestoream Canciciem, vegetâ & vividâ adhuc grandævâ Senectute, raram Juris divini & humani Scientiam, cum pari Prudentiâ civili & Moderatione cœlo laudibus æquare conamur, nisi modestissimus in tanto Eminentiae culmine positus, quotidianis Meritorum cumulibus & ponderibus esse, quàm Emblematis decoris & Lenociniis Oratorum & Poëtarum delenificis, videri mallet: tantùm à serâ Posteritate seria Carmina, æternumque Annalium Honorem exspectans. Nec sine Oblivione & injuriâ beatissimorum tuorum Manium Te præterire possumus, RUDOLPHE JOHNI, qui in ædilitiâ Templi hujus Curâ inclito Viro ADAMO SEBISIO, ad celsissimum togatarum Administrationum supremæ in hâc Urbe & toto Ducatu Præfecturæ Culmen evecto, dignissime suffectus, duobus potissimùm immortalibus in hoc Magdalenæo Templo, restauratis Operibus, Organo & Bibliothecâ, nomen Tibi Immortale comparasti. Te certè, dum Fata DEUSque finebant, Virum Curia Commisionibus bellicis, tractandisque Negotiis sacris & profanis, apprimè necessarium, Republica vehementiùs desideraret, nisi divino Auspicio, & Consilio prudentissimi Senatus Par Optio in curatelâ Ædis Magdalenææ tibi succenturiatus esset, Nobilissimus Amplissimusque Vir CASPAR CRETSMARUS, verus Hermathenæ pullus: qui quidam Euclides, Archimedes, & Vitruvius in Architecturâ Civili & militari perfici posset; nisi, (quod quidem incenso ac flagranti Animo abdita Scientiarum penetrandi difficillimum, tamen Viro Senatorio & rebus agendis destinato, convenientius est,) modum ex contem-

1345.

templatrice Sapientiâ retinere mallet; ac eam ipsam pulcher-  
 rimam Philosophiæ partem existimaret, agere Negotia pu-  
 blica, Justitiam promovere & exercere, pupillorum causas  
 audire & tueri, atque commissa Reipublicæ nomine optimâ  
 Fide expedire. Quâ dexteritate & industriâ sibi gradum præ-  
 struxit, ut prudentissimus Senatus in nuperâ Officiorum,  
 committendorum Distributione, ipsius Æquitati, Fidei, &  
 Innocentiæ summam Ærarii publici in Tabulis accepti & ex-  
 pensæ definiendis, secundum ejusdem Dignationis paris Fi-  
 dei ac Innocentiæ Virum, STANISLAUM ROHNIUM,  
 committeret. Nec Tu defraudandus es debito tibi præco-  
 nio, ALBERTE BIBERE, venerabilis Senex, & Civium  
 omnium in hâc patriâ Civitate primipilaris Tribune, ac Eme-  
 rite; qui Senatoriis illis quatuor Viris, initiò ADAMO SE-  
 BISIO, postea GEORGIO ROHNIO, hinc RUDOLPHO  
 JOHNIIO, & nunc CASPARO CRETSCHMARO adjun-  
 ctus, ut in cæteris hujus Ædis sacrae procurandis Negotiis,  
 quàm etiam adornanda hâc Bibliotheca strenuam operam &  
 assiduum Laborem addixisti, & adhuc Annis & Curis mace-  
 ratus & effœtus corpore, animo tamen vividus & validus  
 adhuc addicis; adeò ut non tam emeritus rude donari, quàm  
 stans & ambulans in concreditâ Curatelâ & Custodiâ Sacro-  
 rum, exspirare unicè exoptes. Tibi enim ipse in Crepuscu-  
 lo, ut sic dicam, vesperscentis Vitæ gratulari, & magnâ Fe-  
 licitatis tuæ parte ponere potes & debes, quod tandem hic  
 Dies reclusæ solenniter Bibliothecæ; tuæ hætenus pupillæ,  
 post infinita vota & suspiria illuxerit, quo Fructum & Deli-  
 cias seniles, ac velut Ambrosiam præcipere, & Nectar præ-  
 libare videris: adeò, ut quemadmodum olim Cœlo receptus  
 Johnius, superior Collega tuus, paucis ante suum Excessum  
 diebus dixerat, nihil magis se in votis habere, quàm ut bre-  
 vi Bibliothecæ huic summa Manus imponeretur; (quod  
 etiam strenuè executus fuisset, si huic Negotio procurando  
 pau-

paulò diutiùs superfuisset: Ita Tu, Venerande Senex, lubentiùs & lætiùs ex terreno hoc Diverforio in æternum Tabernaculum, igneo Spiritu plenus (quod tamen, ut vitæ Dator & Conservator seriùs fieri velit, Summa Votorum nostrorum esto,) evolare DEO vocante gesties, relictis æquæ Posteritati æstimandis geminis hujus Templi Monumentis, Organo & Bibliotheca, tuâ Curâ & Studio restauratis. Sed quemadmodum Nautæ tot in medio mari periculosas Syrtes, Scyllam & Charybdin, emensi, tum demum in vado & portu sæpè naufragium faciunt: Ita ego peragratis Bibliothecarum Initiis, Progressibus, Incrementis, Decrementis variis, Vicissitudinibus; ac illustratis Magdalenæ primis Parentibus, Patronis, Evergetis & Curatoribus; valde subvereor, ne jam, dum Bibliothecarii Munus exigere debeam, in Portu Orationis meæ pericliter, & nisi vester, Auditores indulgentissimi, Benevolentia & Patientia ferens Ventus Cymbæ meæ adspiraverit, totus submergar. Nam si rem ad Conscientiam & Famam refero, duo hæc, Ratio & Exempla, me valdè concutiunt. Quantus & qualis Bibliothecarius esse debeat, docet me efficax Bibliothecarii appellatio: quæ non solam Tabernæ librariæ curatelam, armariorum ac externam Librorum Custodiam significat; Sed potiùs quod esse debeat, ut Longinus olim, spirans Bibliotheca quædam & ambulans Musæum: Homo acerrimi & ad omnium versatilis Ingenii, igneo vigore & impetu: qui, quocunque Acumen intendit, valeat, nec uno Scientiæ genere contentus, plura simul suo captu & suâ Industriâ complecti possit. Quamquam unum Hominem ad omnia, vel saltem plura natum non esse, cum ratione ipsa rerum Experientia luculenta est testis; & universalis illa Propensio ad capeffendum Scientiarum Orbem, in nonnullis cœlestibus naturis ob Brevitatem Vitæ, & varia Vitæ humanæ Avocamenta rarissimè in actum deduci potest; saltem ut quis in omnibus excellat, non omnia  
in



in omnibus sit. Pulchrum quidem est, in uno aliquo insigni-  
 ter eminere, quàm in plurimis mediocriter; sed neque ab-  
 surdum, plura mediocriter didicisse, si non aliquis possit,  
 unum aliquid insigniter. Deinde in Bibliothecario profectò  
 juxta verisimodum Ingenium, Anima Sapientiæ, Judicium,  
 requiritur, ut de omni Auctorum genere censuram ferre,  
 Res & Verba expendere, exigere, & vera à falsis, genuina  
 à supposititiis, naturaliter pulchra à coloratis & speciem men-  
 dicantibus, recta à vanis, gravia & grandia à tumidis, & tur-  
 gidis, alia ab aliis discernere accuratè sciat. Etsi verò omnium  
 rerum habere memoriam Divinitatis potius, quam Huma-  
 nitatis sit, tamen Bibliothecario maximè opus est illa Mater  
 Sapientiæ & Nutrix Eruditionis. Quemadmodum enim Pa-  
 trifamilias omnis Domûs suæ & Agri Suppellex cognita esse  
 debet: Ita ille à Cura Bibliothecæ dictus omnia in numerato  
 & promptu habeat, necesse sit. Sicut etiam decorum erat  
 Imperatori bellico, qui Milites nominatim; & Principi, qui  
 Patres Curia Romanæ sedentes memoriter, sine Monitore  
 salutare potuit: Ita conveniens est, si Præfectus Palladiæ Mi-  
 litia, & togatus Moderator, suos sibi commissos Milites  
 Apollinares, & Cives Æternitatis, universos & singulos no-  
 minare, & vel sine Indice Monitore recitare potest; quod  
 unum & unicum Memoriae promi- condæ Beneficium est.  
 Denique quoties secundum rationem ad eminentia veterum  
 & recentiorum Seculorum Exempla conversus: Demetrium  
 Phalereum Alexandria, Varronem Julianæ, Higinum Au-  
 gustæ; Anastasium Constantinianæ; præpositos longius  
 respicio: & propinquius, Plautinam, Manfredum, cum  
 nonnullis Episcopis purpuratos Patres, Marcellum Cervi-  
 num, Carafas, Amalium, Sirletum, Baronium; & nunc  
 Inspectorem Onuphrium Barbarinum Vaticanæ; Casaubo-  
 num & Rigaltium Parisiensi; Jamesium, Oxoniensi; Janum  
 Douzam Fil. P. Merulam & Heinsium, Leidensi; Xylan-  
 drum,

E

drum,

drum, Melisum, Gruterum Heidelbergensi: Betulejum, Wolfium, Hoeschelium, Ehingerum, Augustanæ; Plotium & Tengnagelium, Viennensi: Saubertum Norimbergensi: ac huic Magdalenæ præteritis primis obscurioris Famæ nuperrimos præfectos, Christophorum Sarcephalum, & Prænominis ejusdem Schwartzbachium, ambos non contemnendos Mathematicos, hunc insuper antiquæ Eruditionis & Poëfios, cum pari Virtute & Moribus peritissimum; omnes illos longâ serie recensitos examino, toties erubesco, & omnibus Herbam ultrò porrigo. Sed in eâ Mentis Perturbatione, non nihil me recreat vestrum P. C. benignum de me Judicium, quod hoc, quantum, quantum, quantum est, omnigenæ Scientiæ, Sapientiæ & Prudentiæ Armarium Fidei, curæ, diligentiaque meæ committere voluistis. Has Virtutes, deficientibus quantumvis illis Requisitis suprâ memoratis, nunquam in me desiderari patiar. Non levis est Famæ Nota, quæ nuper Vaticanæ Bibliothecæ Subpræfecto (si vera sunt, quæ Mercurius Italicus Româ attulit) Candiloro minùs candido & infideli, iniusta est; qui jussu Pontificis Maximi Innocentii X. Manuscriptorum quorundam ablatorum reus custodiæ & inquisitioni traditus est. Diligenti Inspectione & circumspèctione pro virili meâ præcavere studebo, ne Respublica hæc libraria à furtiva aut noxiâ, aut etiam immodestâ Manu, à Tineis & Blattis, situ & squalore, aut alio nocendi genere, quid detrimenti capiat. Illud quidem vestrum mihi commissæ Bibliothecæ Beneficium, si ex Sententiâ eorum, quibus mos est omnia per Ambitionem & lucrum æstimare, metiendum sit, exiguum videri possit; sed si è nostro & optimarum Mentium Sensu, quæ mecum præ Otio Sapiens, tranquillitate Animi, cogitatione & studio Æternitatis, cætera omnia, ut fortuita & inania, contemnere solent, optime Vobis, P. C. me accepti rationem cum ratione reputare censeo. Quoties enim Bibliothecam intueor, quod certè non sine tenerrimo Animi affectu facio, toties ex imaginario quodam mentis conceptu & sano delirio, videor mihi Minervam hæctenus aliis Procis innuptam, Vestrâ Conciliatione, ô magni Pronubi, osculis & amplexibus meis castis elocatam fuisse: ex quâ fortasse pulcherrima & vivacia Pignora, si DEUS mihi Vitam, Valetudinem & bonam Mentem, prorogaverit, me suscepturum spero. Quoties hoc Æternitatis Regnum, cujus Administratio beneficio Vestro, hoc est, eorum, quibus cura studiorum & coherentis Bibliothecæ, illorum Nutriculæ,

incum-

incumbit, æquilibrium mentis mecum trutinò, toties sollicitus sum de  
iis parandis, quæ ad Rationem Statûs firmandi faciunt, & contra  
avertendis, quæ ad evertendi vias inclinare videntur. In hoc Ar-  
mamentarium quoties pedem infero, toties fidenti animo commu-  
nes Literarum Hostes, Murciam, Vacunam, Socordiam, & Bar-  
bariam, ut Hercules quidam Musicus, animis & armis me debel-  
lare, atque domitis Ambitionis Libidinum ac Cupiditatum Mon-  
stris triumphare mihi videor; non imperatorio habitu & triumphali  
Pompâ, cum aureis Armillis & victrice Lauro, nec sequente Mi-  
litum Victoriæ participum manu, sed assistentibus tot illustrium &  
eminentium Ingeniorum copiis, quorum Nomina Memorix Tem-  
porum & Perennitati inserta sunt, astante omnium Seculorum Po-  
pulo, qui diversis Idiomaticum generibus divinam & humanam Sa-  
pientiam cum pari Eloquentiâ exercuerunt. Quoties mihi cum  
aliquo Morbo, Motu & Confusione conflictandum, toties ad hanc  
Medicam Animæ Officinam confugio, cujus præsentis Remedio con-  
festim me convalescere sentio. Ac cum maxima Principis Virtus  
sit, nosse suos, & ad Consiliûm de Republicâ dandum Caput exi-  
stat, nosse Rempublicam, mei maximè officii erit, penitus nosse  
illos Reipublicæ æternæ Cives, quorum Corpora quidem ut morta-  
lia ante tot Myriades aut Centurias Annorum suorum naturæ debi-  
tum persolverunt: præclara verò illorum Ingeniorum Opera, sicut  
Anima immortalia sunt. Hic habitant divinæ & humanæ Sapien-  
tiæ Magistri, Generis humani Præceptores, omnium Scientiarum  
Mythagogi, Custodes temporum, rerum & personarum, Verita-  
tis Assertores, mortui Consiliarii, omnium Populorum Legati &  
Interpretes. Cum illis ipsis de rebus divinis & profanis, togatis  
& sagatis, de Ratione Statûs, Negotiis Vitæ, & Otio Sipientis tran-  
quillo, colloqui, seria joci non sine summâ Animi Delectatione  
& Solatio, miscere licet, ut libet. Sed quemadmodum Nauta in-  
terdum altius in mare præter mentem abripitur, & Peregrinator  
dulcedine & amœnitate rerum visarum, & desiderio ulterius vi-  
dendarum captus Itinera sua latius extendit: Ita ego Bibliotheca-  
rum veterum & recentium varietate, ac parentum earundem, Pa-  
tronorum, Curatorum ac Evergetarum liberalitate, atque hujus  
nostræ Amœnitate, captus, vestrâ in audiendo Patientiâ, multis  
modis abusus sum; quod Vitium studiosius deprecarer, nisi ve-



stros Oculos & Animos suspensis in hoc Æternitatis Capitolio donariis defixos, & inæstimabilibus illis Divitiis & deliciis pastos esse viderem. Cogitate, Auditores, quam gradatim hæc Magdalenáa Bibliotheca ex Infantiâ in Pueritiam, ex Pueris in Adolescentiam, ex Ephebis in Juventutis Florem processerit, & nunc in virili Vigore magis magisque maturescat. Cogitate, quot & quanti Evergetæ, publicæ & privatæ Personæ ad hoc Templum Æternitatis ditandum, ad perennem hanc Memoriam Aram dotandam, concurrerint, Donaria non gemmea, non aurea, non argentea, sed Gemmis longè magis gemmea, Auro longè magis aurea, & Argento longè magis argentea obtulerint, suspenderint, reposuerint. Cogitate, Patres Patriæ, quàm prudentes & diligentes Oeconomi in Reipublicæ nostræ tanquam communis Domus Administratione hætenus extitistis. Nam licet Palatium aliquod amplitudine Spatii, egregio Prospectu, & nitido transmarini aut transalpini Operis Splendore, planè regium & augustum eluceat; tamen nisi necessaria Suppellex adsit, nemo illud commodè habitare potest: ita Vos Scholas hujus Reipublicæ gemellas Sorores, æquilibri lance constitutas, quarum tanquam Fundamenti Reipublicæ & Seminarii Posteritatis, curam seriò ultra Majorum vestrorum gloriam hætenus suscepistis, sine hâc maximè necessariâ Studiorum Supellectile procuratâ, claudicare arbitrati estis. Quare, ut Acclamationibus & Votivis Precibus Orationem meam finiam, Patres Patriæ, Nutricii Ecclesiarum & Scholarum pientissimi, DEUS Vos conservet, Evergetæ Studiorum, & Mæcenates Ingeniorum munificentissimi, DEUS Vos conservet! Præsens Ævi Tutores & Posteritatis tot prospectis Æternis monumentis, Procuratores dignissimi, DEUS Vos conservet! Ac ut uno Verbo Vos postremò salutem & alloquar, ô Dii, DEUS Vos conservet! Quibus conservatis & salvis, salva stat Ecclesia, Politia, Oeconomia, tota Vratislaviensis Respublica, atque in hâc sub Præsidio divino & Umbra Alarum Vestrarum hæc MARIO-MAGDALENÆA BIBLIOTHECA.

D I X I

Inscri-

\* \* \*

*Inscriptio nova.*

DEO TRINO ET UNI

ECCE

BIBLIOTHECAM!

QUÆ

CUM E PARVIS PRIMORDIIS

SENSIM CREVISSET

ANTE ANNOS DUOS AC QUADRAGINTA

IN ORDINEM REDACTA;

DEINDE

LIBERALITATE EVERGETARUM,

MAXIME VERO

WIRBIANO ZIEROTINIANORUM

LIBRORUM LEGATO

AUCTA ET LOCUPLETATA;

INSUPER

FAVORE ET MAGNIFICENTIA

SENATUS AMPLISSIMI

IN HAC SILESIE METROPOLI,

PRÆSIDE REIPUBLICÆ

MAGNIFICO, STRENUO, NOBILISSIMO

VIRO

DN. STANISLAO AICHHEUSER

A LEONHARTWITZ, IN PROTSCH, WEIDA,

LILIENTHAL, SAC. CÆSAR. MAJEST.

CONSILIARIO,

CURATORIBUS HUIUS TEMPLI

STRENUO, NOBILISS. INTEGERR.

AC HONORATISS. V. V.

DN. RUDOLPHO JOHN A KOSEL,

SENATORE ATQUE SCHOLARCHA;

DN. ALBERTO BIBER,

SENIORE,

OPERE ET CULTU SPLENDIDIORE

AD PATRIÆ ORNAMENTUM

E 3

ET

ET  
 GRATÆ POSTERITATIS ÆMULATIONEM  
 RESTAURATA,  
 NEC NON  
 ARTIFICIOSIS SEPTEM GRÆCIÆ  
 SAPIENTUM STATUIS  
 ILLUSTRATA,  
 PUBLICÆQUE UTILITATI  
 CONSECRATA,  
 BONIS OMNIBUS INGENUA-  
 RUM ARTIUM CULTORIBUS  
 FRUENDA PATET  
 ANNO REDONATA PER  
 CHRISTUM SALUTIS  
 clō lōc XLII.

*Inscriptio vetus.*

BIBLIOTHECA  
 SUB  
 PRÆSIDIO AC PATRO-  
 CINIO VIRORUM  
 NOBILIUM AMPLISS. ET  
 INTEGERR.  
 DN. DAVIDIS CÖSLERI,  
 ORDINIS SENATORII,  
 ET  
 DN. MICHAELIS FÜRST  
 IN KUPFERBERG,  
 TEMPLI HUIJUS ÆDILIUM  
 ANNO  
 M. DC. I  
 IN ORDINEM REDACTA.

Salve quiquis ades: Pratum tibi nobile monstro  
 Quot Flores, totidem cernis in Arte Libros  
 Hic Animum pasce: atque hic Mella liquentia fuge:  
 At nocitura tibi, quaeso, Venena, fuge.  
 Nosce DEUM, mentis Fontem, tuque excole Mentem,  
 Me, si vis, auge, sed spoliare, cave.

EPI.

EPIGRAMMATA  
APICIBUS

Duorum Priorum Repositorio-  
rum præfixa.

*I. In Adversâ Facie.*

**Q**uod tibi non tam Oculos, quàm Mentem pascat abundè,  
Modò posce, Palladis hoc dabit Sacrarium.

*In Aversâ Facie.*

**S**i nova quis, vel prisca velit, si seria, amœna:  
Noverit ad satiem hoc reperiunda Loco.

*II. In Adversâ Facie.*

**L**iberum & expertum Fuci si quæris Amicum;  
Aut Liber, aut nullus liber Amicus erit.

*In Aversâ Facie.*

**D**octrinæ svaves licet heïc decerpere Fructus,  
Cui libet optata Commoditate frui.

---

*In THOMÆ SCHWEIKERI,  
Hala-Svevi Brachiis Manibusq; carentis Scri-  
pturam Pedum Ministerio  
directam.*

**E**xemplo fortasse novo mirabere spectans  
Haud Digitis dextræ scripta, sed ista Pedis.  
Naturâ peccante suos fundendus in Artus  
Ille pererravit Spiritus ima Pedum  
Inde habitum generat Naturâ fortiter usus,  
Quæque forent Palmæ munera palma facit.

M. A. C. U.  
Exte-

Exterius Tabellæ Schweikerianæ  
inscriptum.

*Quam DEUS omnipotens, quàm sit mirabilis unus,  
Ista tibi, Lector, clausa Tabella refert.*

D. O. M. S.

**M**ULTA DEUS atque Dies indies aperiunt. Audi Posteritas, si quæ tamen futura es. Pagus est Kansen nomine, sub Incluti Senatûs Vratislaviensis Ditione, Milliari ab Urbe distans uno, & ad Viadri Ripas situs. Hic quia ob annuas dicti Fluminis Eluviones præsentis periculo expositus, necessarium ab Administratoribus judicatum est, ut Aggere altiori muniretur. Quod dum fieri cœptum, atque à vicino Monte aliquot mille Vehes terræ deductæ, in purissimâ (ecce!) Arenâ Ollarum fictilium reperiuntur Fragmina, negligentius primùm habita ac rejecta: at quia crebrius se obtulerunt Ollæ illæ, & innumerò quidem, cautiùs effossæ & repositæ, Urnæ visæ sunt, in quibus Gentiles illi Majores nostri, ad CHRISTUM nondum conversi, combustorum mortuorum condidère Cineres, & singularis Pietatis ergò mediâ Arenâ sepelivêre. Vasa autem illa, qualia antehac & in Silesiâ, puta Trebnicii, Lubenæ, Masselwicii, Coroscæ, & alibi inventa, nec inibi loci nata esse, nec à Nanorum Usibus relicta, sed humanâ facta Manu, & igni cocta, Lithargyro tamen non obducta, cùm Forma Lineis & Ductibus picturata, tum solida durities, sat ostendunt. Majora sunt nonnulla, nonnulla minora, medioxuma reliqua: Omnia tamen collo strictiore, & ventre tumido. Anfas habent singulas quædam, quædam binas. Effossa autem sunt XV. Aprilis, Anno à nato Salvatore M. DC. XIV. Tu quicumque Mortalis hæc aut legis, aut intueris, humanæ Fragilitatis memor, ad universæ hoc Iter Carnis te parans, verâ in DEUM Pietate ac Fide, ut æternùm vivas

VIVE MEMOR LETHI.

C. C. D.





Q. 529  
Q. 530, 9.

X 212

CHRISTO  
ORATIO

Habitâ sc

BIBLIO

MARIO-M

*Libris auctio*

XX  
A. C.

Ufibus pu

nu

VRA  
Apud JOHAN



IS

A

